



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi Archiepiscopi Pragensis

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

Radius Patientiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

Tom. 3. Symbol.
in suis.

Anselmus de
Bodis 1. 2. de:

solatium maximum est conscientiae bonitas. *Adamas unicus*, ait Boëtius, *inter gemmas sine colore, pellucidus, aqua instar*, bonae conscientiae radios repraesentat, cujus testimonio Patientia gloriatur. Sed mirabilior illa *Ruei de Adamante narratio est*: Adamantem videlicet unum, alium gignere aliquando, & *Dominam Heverensem*, è *Lucemburgorū illustri genere*, duos habuisse hereditarios *Adamantes*, qui alios crebro producerent, ut quicumque staret temporibus cor intueretur, congenerem sibi prolem enixos videret. Id si ita est, addit Boëtius, *non minimum est miraculum Naturae*. Non modò igitur lucet invictus *Adamas*, sed etiam parit in arca clausus, quod nulli gemmae natura fortasse concessit. Patientia quoque gemmas tot gignit, ut in Coronam Regni caelestis sufficiant. Macte animo! *durate*, quicumque persecutionem pro Justitia sustinetis! haec patientia vobis duplicabitur ad Coronam; unguibus humanis satis inhumanè fricamini, sed vestrum erit *Regnum Caelorum!* unguis ille Coronam vobis caelestem exsculpet.

RADIUS PATIENTIAE

Patientiae
praemia.

Qui pati non vult, recusat coronari. Aliae gemmarum tursionibus, & pressuris, & flammis, *Adamas* unguibus exercetur, politur, & contumelijs coronam acquirit. Coronae spes vincit omne tormentum. Ego tamen ausim dicere: plus prope esse pati, quam praemiari; sic causa effectum, Gratia Gloriam, virtus praemium praestantia vincit. *Fortuna & Hercules* olim maledictis colebantur, hoc exemplo hodie magni Viri coluntur. Patiendo ab unguibus perficiuntur ad unguem. Qui maledictis impetitur, honoratur. Humilitas Christiano & contemptus, post Christi humilitatem, & post DEVM contentum, gloriae loco successit. *Oleum autem peccatoris non impinguet Caput meum!* Justus in vexatione positus, si inhonoratur à Mundo, honoratur à Christo: cum pro sancto ejus nomine pati etiam promeretur. *Triti-*

Lib. de Joseph.
5. 11.

cum (ait de Josephi Fratibus D. Ambrosius) *multis datur, scyphus apud unum Benjamin servatur*. Sentit se à DEO aspici, qui sentit affligi. Illi paratur Corona, cujus expectatur victoria.

Nul.

Nullum Deo pulchrius spectaculum, quàm virtus in adversis erecta, & constans sibi; quam nec Deus ipse (cujus gratiâ cœlesti nititur) probando dejecit. Vir in calamitate fortis Regnum sibi ipse acquirit Virtutis, Virtutis Rex est; sed Regnum Cœlorum, postea habebit à Christo.

ARÆ VENER. ARNESTI.

Absolvi tandem felicissimi *Præsulis Arnesti* Beatitudinem, omnium humanorum divinarumque bonorum aggregatione constantem, eamque gemmarum radijs adumbravi. Quid aliud, oro, superest, quàm ut *Aram* statuam privatus ego, quam videlicet profanus hic calamus, & penna levis potest lineare? quid aptius agam, quàm, ut alij in terrarum finibus, sic ego in exitu mei hujus laboris erigam Trophæum? Ita apud *Ptolemæum Aras Alexandri, Aras Pompeij, Aras Cæsaris Iulij*, aliorumq; Ducum legimus, & videmus: nec magno nuper sua defuit *Ara Maroni*. *Ara* *Ara Maroni in Poetica lib. ult. Scaligeri.* *Tua VEN. Arneste Præsul* gemmis constitit tota. *Omnis lapis pretiosus operimentum Tuum!* Securus jam tui regnas in Cœlo, & felicitatem Tuam, non ut nos cogitationis aspectu, sed sensu, & infiniti boni dulcissimâ

po-